MAVSOLEVM

IMMORTALITATI.

Perillustris & Adm: Rndi: D. D.

Piæ memoriæ.

E R A S M I KRETKOWSKI

Archidiaconi, Vicarij in Spiritualibus, & Officialis Generalis Cracouiensis, S. R. M. Secretarij.

Ex

Septem virtutibus constructum &

A


M. B. ADAMO TOMIECKI,
Artium & Philosophiæ Professore,

publico mærori erectum.

Anno Domini M. DC. XXXIX. die 12. Calen. Decem.

C R A C O V I Æ.

In Nobilissima SKARSZEVIORVM *insignia.*



Fertur Amaltheæ quantas includere cornu
Diuitias: tantas SCARSEVIANA Domus.
Inuenies Martis robur clarere, Togæq;.
Ingenio magnos, & pietate viros.
SCARSEVIVS Præfulget ijsdem, rite IOANNES.
Eloquio clarus, Consilioq; potens.

Albertus Casimirus Roxycki,
Castellanid. Polanecen. Stud. Eloquen.

Perillustri & Admodum Reuerendo Domino.

D. IOANNI SKARSZEWSKI,

Cracouiensi Canonico, Custodi Visliciensi, S. R. M. Secret. &c. &c. Domino & Patrono S. & P.

OPTIME prouisum est hominum immortalitati Perillustr: & Adm. Rñde D. nè virtus diuturnâ exercitatione parta, senio & vetustate contabescat, vt simulachra quædam sapientiæ, & lumina reipublicæ, viri ingenio & eruditione clarissimi, literarum monumentis ad seram transmittantur posteritatem. Neq; ego alienum à proposito meo duxi, Tuo Perillustris & Admodum Reuerende Domine nomini, imaginem præstantissimarum virtutum, quæ cunctis luce clarius patebant, Perillustris & Admodum Reuerendi Domini ERASMI KRETKOWSKI, Archidiaconi, Vicarij in Spiritualibus, & Officialis Generalis Cra. S.R.M.S. ob oculos collocare. Fueras quidem non solùm luculentissimus

ſimus ſpectator omnium, quæ vir diuinus partim in Eccleſiam, partim in rempublicam, Perilluſtreq́; & Venerabile. Capitulum Cracouienſe præſtiterat monumentorum, ſed etiam pietatis, humanitatis, ſapientiæ, cæterarumq́; virtutum, nobiliſsimum ſemper exemplar exſtitiſti. Quare dum ego illud diuinum pectus, veluti Sacrarium quoddam omnis probitatis, mea qualicunq́; opera geſtiò immortalitati conſecrare; recipies in patrocinium, non tenuitate ingenij mei, ſed magnificentiâ cæleſtium donorum, & illarum dotium, quibus abundè ornatus vir conſpiciebatur opus illuſtratum. Æquum enim eſt, vt quem ille vitæ ſuæ cenſuit acerrimum defenſorem, idem honoris etiam poſt obitum propugnator exiſtat glorioſus. Cracouiæ ex Muſæo pridie Calen. Decembris.

Perilluſtris & Admodum Reuerendæ D. T.
obſeruantiſsimus

M. B. Adamus Tomiecki Artium
& Philoſophiæ Prof. in Al. A. C.

TIMOR DOMINI.

QVis Parium marmor, Summo non sculpet ERASMO?
Aut quis non statuet, digna trophæa viro,
Ægyptus quondam tulerat fæcunda colossos,
Insculpens illis, fortia facta ducum.
Nunc Cleopis sumptus miratur vulgus in orbe,
Fudit in excelsas, quos sibi pyramides.
Gloria maior erit, clarâ virtute parante
Mystæ, perpetuos & sine fine rogos.
Hoc opus exstruxit, sculptor virtutis amandæ,
Clarius arte micans, quâm Polyclete tuâ.
Admouêre manum, cœlesti natus in aula,
Præcursor, sanctâ cum pietate Timor.
Præclarum fuerat, teneris quo pectus ab annis,
Afflatum, sacro Pneumatis ore Dei.
Felici iuuenis completus luce Timoris,
Gestijt assiduò, lumina sancta sequi.
Seu dum miles erat, doctæ sub Palladis armis,
Linquere seu iussit, castra Minerua sua.

Seu fuerat Summi, comitatus Principis aulam,
Seu licuit placidæ, tradere membra togæ.
Flagrabat generosa propago, accensa Timore
Diuino; cupiens subdere velle Deo.
Diuitijs spretis generis, quas splendor habebat,
Seruitus visa est sola beata poli.
Cum lætus dederat Diuo sub Præsule nomen,
SZYSCOVIO virtus tum benè nota fuit.
Ex albo Lachesis, voluit deradere nomen,
Sarmatiæ tollens spemque decusque plagæ.
Inuida mors, fugiunt virtutes falcis iniquæ
Legem, nec metuunt tristia tela tuam.
Empyreas fuerit licet ipse profectus in oras,
Virtus in terris CRETCOVIANA manet.
Flete Patrem miseri, docti deflete Patronum,
Concidit heu! vestri, Tutor amorque boni.

INTELLECTVS.

ECquis sydereæ miratus dona palæstræ
Non est? quæ mentem condecorâre piam.

Aura-

Auratos veluti radios fert, Cynthius orbis,
Obſcuras luſtrans vndique luce plagas.
O quot CRETCOVIVS Sanctos, luſtrabat, ERASMVS,
Illuſtres animi dotibus, atque locos.
Quocunque aſpicies mentis fulgere trophæa,
Cernes, Romano dulcia Pontifici.
Intueare licet prudentum ſcripta virorum,
Centoculus dicent Argus, ERASMVS erat.
Aſpicias partes quas nunquam deſerit æſtas
Vel quas perpetuò, frigore bruma tegit.
Inuenies vbiuis, famam volitare per auras,
Præſtans quam virtus indolis ediderat.
Clara ZADICOVIO, cunctis ſapientia ſæclis,
Quæ regit egregiè, Pontificale pedum.
Inſignes poſtquam Præſul doctiſsimus vrbis,
Conſpexit dotes, conſilijque modos.
Amplexata grauem, dulcis facundia mentem,
CRETCOVIVM voluit, Præſulis eſſe loco.
Ornatum tantis opibus, mors impia Myſten,
Suſtulit, & iuſsit, ſcandere regna poli.

Ipſa

Ipſa rudis triſti, deflet plebecula voce,
Subtractum, Craci mænibus eſſe Patrem.
Ingenio fuerat, quo non præſtantior alter,
Percuſsus ſæuo vulnere, mortis obit.
Flete Patrem miſeri, Docti deflete Patronum,
Concidit heu! veſtri Tutor amorq; boni.

PIETAS,

VIrtutum regina venit, gratiſsima cœlo,
Prælato fuerat, gratior vlla pio.
Hæc fuerat teneræ cuſtos, & alumna iuuentæ,
Hæc vitæ ductrix, atque magiſtra probæ.
Ad cultus cœleſtes, huius amore vocatus,
Flagrabat ſemper, mens pietate Dei.
Magna Ludouicus fecit ſtipendia cœlis,
Regali cupiens, ſede locare Deum.
Non minor eſt pietatis amator, ERASMVS habendus
Qui voluit Chriſti, corporis eſſe domus.
Quid memorem cultus Diuorum, geſtaque ſacra,
Fecerat in multis, quæ pietate duce.
Martyribus ſacris modò Negardouia Villa
Prædita ſplendeſcit, relligione micans.

Perſoluit

Persoluit grates, cœlesti laude decorus,
Diuus IACOBVS, quod sua clara domus.
Almæ deliciæ Matris splendensq; IOANNES
Lumen adest præstò, CANTIVS ipse tibi,
Qui laudes referet vultu, cum fronte serenâ,
Sancta quod è limo, laueris ossa putri.
Lechiacæ gentis, lux Taumaturgus in aulam,
Cælorum manes ducet in astra, prece.
STANSLAVS protector; diuina luce coruscus,
Quem pietas in se nulla latere potest.
O quoties cordis, suspiria Sancta trahebat,
Visere mens quoties templa Sacrata fuit
Hæc pietatis amor, iussit producere facta,
Est sat præclarum talia gesta sequi:
Flete Patrem miseri, docti deflete Patronum,
Concidit heu! vestri, Tutor amorq; boni.

SCIENTIA.

Mercurius frondenti ornârat tempora lauro,
Sederat in cuius Suada diserta sonis.
Mellea sic fluxit facundia, Principis oré,
Vt placidus Ponti, profluit amnis aquæ.

Orpheus Arcadici, fertur dulcedine plectri,
   In proprias homines conuocitaſse domos.
Eloquij cedet præſtans vis Pleiàde nati;
   Qui primus iuncto fædere clarus erat.
Maior vtroq; nitet, tua mens Inſignis ERASME,
   Diſcordes animos iungere qui poteras.
Et quos diſiunxêre horrentia vulnera Martis,
   Hos tua vis mentis iunxit amore pio.
Noſcere debueras prudentum dogma Sophorum,
   Noſse Pericleos Mæonioſq; ſonos.
Iræ qui magnos fluctus lenire valebas,
   Heroum iungens ſaucia corda virûm.
Flectere qui arte ſuâ ſimul vrſos atq; leones
   Noſset: poſteritas mille trophæa dabit.
Ecquis non ducet flagrantia Marte furenti,
   Heroum maius, bella ſopire decus.
Caſibus adfuerat veneranda ſcientia tantis,
   CRETCOVII en finem Parca nefanda tulit.
Regales quanto vultus, ſacrumq; Senatum,
   Splendore ornabat, Lechia teſtis adeſt.

Cor-

Corporis, ingeniĳne prius mirabor honorem,
Adfuerat Cypriæ, casta Minerua comes.
Flete Patrem miseri, docti deflete Patronum,
Concidit heu! vestri, Tutor amorq; boni.

FORTITVDO.

MAior Achilleâ, nitet in certamine dextra,
CRETCOVII : bello non minus apta patet
Nec mirum lapsa est cœlesti sede Quiritum,
Cui concessa Sacri Pneumatis auxilio.
Hostibus ex Christi gestit qui ferre trophæa,
Est opus vt nihili hic, Herculis arma putet.
Sumpserit hic galeam, clypeum fideiq; speiq;,
Taliter armatus, victor ouare solet.
Instat grande satis, nobis cum corpore bellum,
Ex victis referet, clara trophæa Timor.
Cum rabido magnus, certauerat hoste Sacerdos,
Subueniens Iris, distribuensq; stipem,
Spreuerat & mundi fraudes, aulamq; superbam,
Dum fuerat sancto, deditus obsequio.

Victor adest, referens victricia signa; gigantis,
Igniuomi, pugna est non metuenda Patri.
Incola Tartarei baratri, stygiæq; paludis,
Ingemit oppressus, nulla trophæa gerens.
Nomine quam merito Aiacis, gaudebit ERASMVS,
Fortior an Samson, Dauid & ipse fuit?
Flete Patrem miseri docti deflete Patronum,
Concidit heu! vestri, Tutor amorq; boni.

CONSILIVM.

PRospicitis quicunque polos, vrsamquè minorem,
Plangite subtractum, Nestora Sarmatiæ.
Eloquium valuit quantum, vel lingua Cyneæ,
Iudicio tantum, mens generosa Patris.
Virtutum lumen viguit, doctrinæque potestas,
Candida quâ fuerunt, tempora cincta viri.
Maius adesse cupis, solemnis culmen honoris,
Hebdouios ABBAS, rexerat arte Patres.
Sustulit è sacrâ, latitantes æde reatus,
Ingenio noxas, dissimulante ferens.

Prin-

Principibus pandit felix, oracula Mystes,
Linquens post Consum, Tyberiumque ducem.
Illum sat veneratus erat, LVBOMIRSCIVS Heros,
Qui regnat Craci, non sine laude solo,
Hunc meritò coluit Sacer ordo, Patresque Togati,
Consilij nôrant, lumen inesse viro.
Quo fretus populo, dictabat iura fideli,
Iustus Aristides, Biblius alter erat.
Flete Patrem miseri, docti deflete Patronum,
Concidit heu! vestri Tutor âmorque boni.

SAPIENTIA

VT cernas purum, quod sit mortalibus aurum,
Est opus, vt monstret, Lydius ecce tibi.
Virtutis pandet fructus, artisque profundæ,
Sarmatici Regni, Gemma ZADICOVIVS.
Cui frontem redimiuit, sacra tiara decoram,
Nutibus & paret docta caterua Sophûm.
Censuit vt summo, niteat Diuis cumulatus honore,
Et capitis fieret mens oculusque sui;

Incly-

Inclyta moratos, extollat Roma Catones,
Præferat ipsa, licet, Græcia docta Sophos.
Lyndius inq; suis, iactet Cleobulus Athenis,
Hæ sisse astutum, Palladis ingenium.
Delicium factum est, sollertis Lechia Musæ
Doctorum genitrix; atq; benigna Parens.
CRETCOVIVS tenuit, palmam intra tecta Mineruæ,
Omnibus in nodis, Oedipus alter erat.
Seu legeret Canonas, Sacratos, mente sagaci,
Seu faceret populo verba diserta pio.
Flete Patrem miseri, docti deflete Patronum,
Concidit heu! vestri, Tutor amorq; boni.